DOCTORIS AUGUSTINI PANTÒ ... OPUSCOLA: SPECIMEN JURIS ADCRESCENDI. 2

Digitized by Google

DOCTORIS

AUGUSTINI PANTÒ

CANONICI IMPERIALIS CAPPELLÆ

Divi Petri Sacri Regii Palatii

URBIS PANORMI

SPECIMEN

Juris Adcreſcendi.

EX AUCTORITATE PUBLICA

PANORMI Antoninus Gramignani excudebat

Anno CIↃ IↃ CC XX X.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD
Academiæ Juſtinianeæ Alumnos.

SÆPE mecum ipſe reputans, Optimi Adoleſcentes, cur in maxima Jus Civile diſcentium multitudine, præſtantiſsimis hujus Siciliæ Regni, noſtræque Urbis ingeniis, infinita penè Cauſsarum varietate, quàmampliſsimis Jurisprudentiæ propoſitis prœmiis, honoribus, cunctiſque dignitatis gradibus, tam exiguus verè Juriſconſultorum numerus exiſtat, tam in paucis ſpes, in paucioribus facultas, in multis ſit audacia; non aliam demum culpæ cauſſam eſse intellexi, niſi rei quamdam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem. Nam in Jure Romanorum interpretando tanta rerum in eo contentarum ſubtilitas invenitur, tam magna Legum occurrit obſcuritas, tam denique gravis inter eas ipſas conflictus apparet, ut non facilè

quivis, quamvis acuto, & excellenti ingenio præditus, in hac difficultatum turba ſe prorſus expedire valeat. Quæ ſi unquam omnia ſimul in aliqua juris diſquiſitione concurrunt, ea profecto eſt, quam nunc de Jure Adcreſcendi pro viribus pertractandam, ac vobis, quantùm res ipſa patitur, explicandam ſuſcipimus. Etenim in jure noſtro nulla alia vel ſubtilior, vel perplexior inveniri poteſt, quæque ad obſcuriſsimarum legum intelligentiam, atque plurium forenſium quæſtionum diſſolutionem admodum eſt neceſſaria. Atque utinam tot enumeratis difficultatibus, ea quoque nunquam acceſſiſſet, quam plerique attulerunt! qui ſanè incognita pro cognitis habentes, hiſque temerè aſſentientes, difficilia ſæpe difficiliora reddere conati ſunt, & nonnunquam (quod maximum vitium eſt) rebus clariſſimis tenebras obduxerunt. Ac ſi quæritis, cur ij tam graviter, & quod non parùm etiamen extollit, cum maxima aliorum pernicie peccarint, eò certè cauſſam omnem conferendam eſſe puto, quod ij rebus tantùm in dubitationem adductis ſcripta ſua retulerunt, neglectis Juris principiis, ad quæ ſi tanquam ad capita, & fontes ſingulæ res referrentur, quantùm adjumenti, atque utilitatis cupida legum juventus inde perciperet! quot inſuper incommodis, quàm magnis difficultatibus occurreretur! ita enim nihil erit in forenſibus diſceptationibus tam arduum, atque difficile cognitu, quod ad univerſi generis di-

diſputationem collatum quadam mentis ſecuritate minime diſſolvatur: nihil tam inter innumera doctorum placita, ſententiaſque diſtractum, quod non facilè expediatur: nihil demum tot oppoſitionibus involutum, quod non ſecerni, atque ad ſummam concordiam redigi poſſit. Sunt autem in jure noſtro, ſicuti in ceteris diſciplinis, quædam primæ veritates, quædam principia, quæ à recta, conſtantique ratione prodeuntia, omnium hominum, omniumque temporum conſenſu probantur, de quorum veritate plerunque inſipientis, impudentiſque eſt dubitare. Ex his Juris regulis, & principiis, quæ temporis diuturnitate firmitatem ſuam non amittunt, difficilium quæſtionum, ac controverſiarum forenſium veritas ritè deducitur; quibuſdam peculiaribus pro re nata circumſtantiis, modificationibus, cauſſis, aliiſque id genus accuratè perpenſis, atque ſuam, propriamque regulam ad ſingulas res, quæ veniant in controverſiam, & in dies emergant, adhibitâ dialecticorum ſcientiâ, qua vera, ac falſa dijudicantur, ſedulè aptando. Plurimum ſane proderit juris principia noſse, ſed tamen cavendum eſt, ne mens propter ſimilitudinem quamdam, quam unaquæque res cum multis habet principiis, ſpecie recti decepta unum pro altero eligat, ac de re quapiam judicatura in perverſa judicia dilabatur; quod proculdubio evenire neceſſum eſt, ſi quando rei alicujus dimenſionem petimus, regu-

lam,

Digitized by Google

lam, rationiſque principium, cum quo dumtaxat res propoſita omnimodam, integramque ſimilitudinem, proportionem, & æqualitatem habet, minimè adhibeamus. Quare videant qui ejuſmodi juris principia, & axiomata temerè deſpiciunt, ne facilè in ſuis judiciis fallantur, ſi ijs etiam periculum errandi ſubeſt, quibus vel omnia (quod difficillimum eſt) vel ferè omnia cognita ſint, ob pravam eorumdem principiorum electionem, mentiſque humanæ, atque rationis imbecillitatem; ut rectè, ac ſapienter monet CL. Ludovicus Antonius Muratorius. (*a*) Jure ergo eorum ſtultitiam irridemus, quibus expeditiùs eſſe videtur, ut ſimulac poſita ſit cauſſa, præſtò ſint ſummiſtæ, caſuiſtæ, atque etiam librorum indices, habeantque quò ſe referant, unde ſtatim plura argumentorum puncta ad cauſſam, ut ipſis videtur, quodammodo pertinentia, improbo labore depromant. Quid enim, ut ſæpe dicimus, ſed dicendum eſt ſæpius, tam inane, tam ſtultum, ac juriſconſulto plane indignum, quàm deſpectis, atque impudenter in contemtum adductis iis, quæ ferè certa ſunt in jure, doctorum tantùm placitis huc illuc animum diſtrahentibus penitus adhærere? Quem enim fugit, ea tantum auctoritatis ſibi comparare, quantum deſumunt ab iis, quæ ſummâ ratione, ac conſilio in jure ipſo ſcripta reperiuntur? a qui-

bus

(*a*) *lib. 1. cap. 6. de ing. mod.*

bus ſi quis omnino declinare videatur, nec juriſperiti nomen meretur, nec aliorum patrocinia ſine magna temeritate ſuſcipiet. Quamobrem rectè ait Verulamius, (*a*) errare eos, qui ad cauſſas, & lites ſuas expediendas adhibent legulejos in practica potiùs, quàm in libris juris verſatos. Non ego hæc eo conſilio diſſero, ut iſtos, quos ſingularium dumtaxat rerum copia delectat, redarguam, ſed ut amicè potius adhorter, ut tam graviter, & cum eorum ſummo dedecore in juriſprudentiam aliquando peccare deſinant, quæ clariſſimis profecta initiis, per tot jam ſecula à tot prope divinis ingeniis tam diligenter exculta, atque educata, adversâ poſt fortunâ ſuam honeſtatem omnem neglecta prorſus amiſit. Quapropter mirari deinceps deſinamus, ſi juriſprudentia veluti barbarie damnata, ab elegantiorum artium commercio jam excluſa, tanquam rude aliquod artificium ſenſim ab eruditis repudietur. Quanquam, ſi verum quæritis, non tam a ſublimi juriſprudentiæ ſtudio, quàm potius à barbaris juris profeſſoribus eruditiſſimi homines abhorrent. Vitioſum enim eſt artem, aut ſcientiam, aut ſtudium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui ſtudium illud profitentur. Nunc autem ne longiùs oratio progreſſa videatur, ad reliqua, quæ vobis breviter exponenda ſunt, pergamus. Placet igi-

tur

(*a*) *lib. 1. de dign. & aug. ſcient.*

tur primùm quæſtiones quaſdam, quæ utiliter hac in re excitari ſolent per principia pertractare: turpe eſt enim difficiles habere nugas, & ſtultus labor eſt ineptiarum. Rerum autem, quæ ad exercitationem forenſem attinent, hic mihi fuit delectus, ut omiſſis iis, quæ aliena à re, in qua verſamur, aut certè cum ea minus conjuncta, & cohærentia videri poterant, ea modò diligenter perſequerer, ſine quorum cognitione fruſtra hac in re laboretur, & quibus rectè cognitis, cetera omnia, quæ agitantur in foro, per ſe aperta, & plana futura ſint. Id enim in ore omnium verſatur, non tam in multis, quàm in iis, ſi forte non attinent, opportuniùs reſecandis, ſcribendi vim, docendique artem maxime collocari. Qua de cauſſa optimorum ingeniorum fœtus non ex mole, ſed ex vi, naturaque ipſorum ab æquis rerum æſtimatoribus ſcitè penſantur, atque parva quædam ingenii magni monimenta in honore, & precio, alia verò magna aliorum contemtui eſſe, omnique laude carere intelligimus, quippequæ ſine ullo rerum delectu, ac verborum venuſtate, utrorumque collocatione, atque ordine, in magna copia degunt, aut etiam neceſſaria omittunt. Nos itaque Juris Adcreſcendi tractationem inſtituere cogitantes in eo curam omnem, diligentiam, ac ſtudium ponere conabimur (quantùm conſequar, vos judicabitis) ut neque prætermittamus neceſſaria, neque inutilia conſectemur, & quædam

etiam,

Digitized by Google

etiam, quæ forte nec ſatis hactenus erant noſtris vulgaribus Scholis nota, & erant cognitione digniſſima in medium adferamus; in quo brevitati, quæ à perſpicuitate non abſit, quantùm potero, ſerviam, ne copia in re tam difficili, & obſcura mentem potius obruat, quàm inſtruat. Præterea dialecticam, quaſi lucem ad ea, quæ confusè ab aliis diſſeruntur, adhibebimus; ſiquidem pro viribus, & quantùm in nobis erit, continuò enitemur, rem univerſam in partes tribuere, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando. Ad ordinem quod ſpectat, quo nihil in diſciplinis tradendis eſt præſtantius, nihil utilius, id nobis ſemper propoſitum fuit, ut ab univerſalibus ad particularia gradum faciamus, omniaque eo ſcribendi genere pertractari duximus, quod eum tenere oportet, qui Juris Civilis ſcientiam ſelectioribus linguæ latinæ verbis inſtructam docendo profitetur. Itaque non rudi, non fœdo, non barbaro, ſed nitido, perſpicuo, uſitato ſermone utar, & ut me paucis expediam, non grammaticè, ſed latinè tamen, uti decet, loqui conabor, ne optimi adoleſcentes, qui in inferioribus liberalium artium rudimentis probè inſtituti, linguam latinam mediocriter calleant, barbaro illo, inconditoque ſermone turpiter inquinentur, atque quod multo ſibi labore compararunt, penitus amittant. Sed hæc in præſentia omittamus. Quod autem ad vos attinet, pergite ut

Digitized by Google

jam cœpiſtis, Adoleſcentes, ac quantùm eniti animo poteritis, quantùm labore contendere, in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ne tam digno, & glorioſo principio non idem reſpondere finis videatur.

Jus

Digitized by Google

JUS Adcreſcendi eſt id, quo in ultimis voluntatibus, hoc eſt, in hæreditate, legato, vel mortis cauſſa donatione, vacans portio accedit, ſeu cedit occupatæ: vel, eſt Jus retinendæ, aut nanciſcendæ partis conjuncti, qui non concurrit, vel concurrere deſiit. (*a*) Itaque portiones deficientium hæredum ejuſdem hæreditatis, vel collegatariorum ejuſdem rei adiiciuntur iis, qui ſuam portionem agnoverunt; ad exemplum alluvionis, quæ latens, tacitumque augumentum eſt, quo pars parti adiicitur, non perſonæ; qua ratione quod ita adcreſcit, tacitè, latenter, ipſoque jure cedit, hoc eſt, ſine novo ullo facto, ac operâ noſtrâ; (*b*) adeout pars deficiens hæredi non modò ignoranti, (*c*) ſed & invito adcreſcat. (*d*) Atque hinc ſane petenda eſt ratio, cur decedente cohærede anſequam portio alterius ei adcreſceret, Jus Adcreſcendi ad ejus hæredem tranſmittatur; mortuo verò ſubſtituto antequam ei hæreditas delata eſſet, Jus ſubſtitutionis hæredem ejus non ſequatur. Jus etenim Adcreſcendi, ut dictum eſt, rem reſpicit, non perſonam, contra verò ſubſtitutio. (*e*) Ita-

(*a*) *Hotoman. in epit. h. tit. n. 2. & 14.*
(*b*) *L. Sed cumPatrono ff. de bonor. poſſ.*
L. 1. C. quando non petentium partes petentibus adcreſcunt
(*c*) *L. hæredi 31. ff. de adquir. vel omitt. hæred.*
(*d*) *L. Qui ex duabus 53. §. 1. ff. eod. L. un. §. his ita C. de cad. toll.*
(*e*) *L. Si ex pluribus ff. de ſuis, & legit. hæred.*
Duaren. de Jure Adcr. lib. 2. cap. 6.

Digitized by Google

Itaque Jus Adcreſcendi aliud inter hæredes, aliud inter legatarios verſatur. Naſcitur inter hæredes poteſtate Juris, ac vocatur legitimum, quod ex lege magis, quàm teſtatoris voluntate, ac judicio proficiſcitur. Quanquam enim hac in re quædam ſit voluntatis ſignificatio, ea tamèn eſt ita obſcura, & tenuis, ut id Jus legi plerunque potius attribuamus. (*a*) Si enim expreſſà, ac certa teſtatoris voluntas appareret, utique ſubſtitutio eſſet, non autem Jus Adcreſcendi, quod ſimilitudinem quamdam habet, re ipſa tamen pluribus a ſubſtitutione differt. (*b*)

Hujus autem Juris introducendi ratio fuit, ne quis pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decederet, atque unâ in parte hæredem teſtamentarium, in altera legitimum haberet hæredem; quod jura vetant omnino. (*c*) Hinc duæ prodeunt Juris regulæ, quarum altera eſt, ut nemo delatæ ſibi hæreditatis partem ſemel quæſitam repudiare posſit; (*d*) altera, ut nemo eamdem hæreditatem, quæ alium hæredem non habet, partim agnoſcere valeat, partim reſpuere. (*e*)

Quibus ex rebus oriri neceſſe eſt Jus Adcreſcendi tum in hæreditate, quæ unum tan-

tùm

(*a*) *Duaren. h. tr. lib. 1. cap. 1.*
(*b*) *L. Si Titio §, Julianus de legat. 2.*
(*c*) *L. Jus noſtrum ff. de reg. jur.*
(*d*) *L. 4. C. de repud. vel abſtin. hæred.*
(*e*) *L. 1. & 2. de adquir. vel omitt. hæred.*
L. quidam 20. C. de Jur. delib. L. un. § his ita C. de caduc. toll.

Digitized by Google

tùm hæredem habeat, tum ſi plures quidem hæredes ſint, ſed aliqui deceſſerint, vel portionem ſuam non agnoverint. Si unus ſit hæres, qui partem tantùm hæreditatis adeat, ea pars ita reliquas trahit, ut vel invitus, & ignarus totam adiiſſe hæreditatem cenſeatur. Si plures ſint hæredes, deficientium, aut repudiantium partes adcreſcunt iis, qui agnoverunt, & adierunt, non quidem ex æquo, ſed pro portionibus hæreditariis, ſive conjuncti ſint hæredes omnes, ſive disjuncti, ſive partim conjuncti, partim disjuncti: hac tamen adhibitâ diſtinctione, ut conjuncti pro unius perſonâ habeantur. (*a*) Qui ergo ſint conjuncti, vel disjuncti brevî ad intellectum *L. Triplici* explicemus, quò faciliùs ex hac cognitione ad Jus Adcreſcendi inter legatarios tranſeamus, in quibus Jus Adcreſcendi non quidem poteſtate juris, ut inter hæredes, ſed ſolius ſcilicet conjunctionis ratione, ac tacita teſtatoris voluntate verſatur.

Conjuncti dicuntur, qui ad eamdem rem, ideſt hæreditatem, vel legatum, ſive eâdem, ſive diversâ oratione in eodem teſtamento vocantur. Conjunctionum autem genera tria facit Paulus J. C. hoc eſt, re, & verbis, re tantùm, & verbis tantùm, quam diviſionem à Paulo in dicta *L. Triplici* traditam communiter Doctores amplectuntur.

Pri-

(*a*) *L. planè 34. in princ. ff. de legat. 1.*

Prima conjunctio re, & verbis eſt, veluti *Titius, & Mævius mihi hæredes ſunto. Titio, & Mævio fundum Sempronianum do, lego.*

Secunda Conjunctio re tantùm eſt, veluti *Titius mihi hæres eſto: Mævius hæres eſto.* vel *Titio fundum Sempronianum do, lego: Mævio eumdem fundum do, lego.*

Tertia eſt conjunctio verbis tantùm, veluti *Titium, & Mævium æquis partibus hæredes inſtituo.* vel *Titio, & Mævio æquis partibus fundum Sempronianum do, lego*: ubi naſcitur diſtinctio rei ex verbis *æquis partibus*, quibus fit ab ipſo teſtatore diviſio.

Itaque primi dicuntur re, & verbis, ſeu mixtim conjuncti, quos nominum, & rei complexus jungit, vel quibus conjunctâ ſcripturâ, ſive eadem oratione res eadem ſimul, & in ſolidum relinquitur: & hi quidem partes habent ab initio conſtitutas non quidem expreſsè à teſtatore, ſed tacitè per interpretationem legis. (*a*)

Secundi dicuntur conjuncti re, diſtincti verbis, hoc eſt, quibus eadem res in diverſis orationibus in ſolidum relinquitur: & hoc modo conjuncti habent ſolidum initiò, partes verò faciunt concurſu. (*b*)

Tertii dicuntur conjuncti verbis tantùm, quibus eadem res, factis à teſtatore partibus, in eadem oratione, ſeu conjunctâ ſcripturâ relinquitur. (*c*) Ad

(*a*) *L. 34. §. Si conjunctim ff. de legat. 1.*
(*b*) *L. 1. §. Interdum ff. de uſufr. Adcreſc.* (*c*) *d. l. Triplici.*

Ad inducendam autem hanc conjunctionem verbalem opus eſt, ut perſonæ vocentur ad diverſas partes ejuſdem rei; nam ſi ad res diverſas vocentur, veluti *Mævio, & Titio ſingulos ſervos do, lego*, erunt quidem figurâ quadam verborum conjuncti, haud tamen eâ conjunctione, quæ ſatis ſit ad Jus Adcreſcendi, quum teſtator non tam conjunxiſſe, quàm celeriùs dixiſſe videatur, ut Pomponius ait, (*a*) pro eo ſcilicet, quod dicere debebat, *Titio do, lego ſervum: Mævio alterum ſervum do, lego*.

Oportet etiam ut partes ſint diviſæ pro indiviſo, hoc eſt, non ita certæ, ut facilè demonſtrari queant; tum enim legatarii nulla verbali conjunctione inter ſe copulantur, nam partes hoc pacto diſtributæ res diverſas conſtituunt: (*b*) qua ratione hujuſmodi conjunctio non invenitur ſi dicatur, *Mævio fundi partem dimidium, & Sejo alteram dimidium do, lego*. (*c*) Similiter opus eſt, ut partes aſſignatæ æquales ſint, ſive viriles, nam ſi eſſent inæquales, nunquam conjunctio verbalis oriretur, veluti *Titio lego fundi beſſem; Cajo trientem*. (*d*) Præ-

(*a*) *L. Si ita quis bb. ff. de bæred. inſtit.*

(*b*) *L. Si quis duas §. Si quis partem ff. comm. præd. tam urb; quam ruſtic.*

L. rectè dicimus § ult. ff. de verb. ſignif.

(*c*) *L. Julianus ff. de hæred. inſtit. Cujac. lib. 24. obſ. 35. Fab. dec. 49. err. 3. in fin. Govean. in animad. ad l. re conjuncti. Hotoman. 6. obſ. 12.*

(*d*) *Fab. lib. 6. cap. 1. ſub n. 8. ubi citat l. penult. ff. de uſufr. adcr. & Goveanum. Idem Fab. de error. Pragm. decad. 49. error. 3. n. 5. & 8.*

Digitized by Google

Præter has conjunctiones eſt & alia legalis dicta, quam primus omnium Bartolus adnotavit, *(a)* quæque eſt complexus duorum, qui ſimul ad eamdem rem ex juris diſpoſitione vocantur; exemplum eſto in dominis ejuſdem ſervi, cui à teſtatore relictum ſit legatum ſive proprietatis, ſive uſusfructus: eos enim conjunctos legali conjunctione vocari receptum eſt, propterea quod ad legatum ſervo relictum à lege, non à teſtatore vocantur. Quæ legalis conjunctio pariatnè inter dominos Jus Adcreſcendi, in dubitationem à pleriſque jurisconſultis adducitur. Nam Proculo placuit, ſi communi ſervo quicquam legatum ſit, uno ex dominis omittente legatum, alteri non adcreſcere, ſed omittentis partem in hæreditate manere. *(b)*

Nec refragatur id, quod in l. ſervus communis ff. de adq; hæred. ſancitum extat, ubi ſervo hærede ab extraneo inſtituto, ſi unius dumtaxat domini juſſu adeat hæreditatem, ceteris ſociis non jubentibus, tacito jure partes ei, qui juſſit, adcreſcunt; nam id ob conjunctionem minimè contingit, ſed ex juris regula, *(c)* ob quam inter duos, vel ſeparatos hæredes locum habet Jus Adcreſcendi, quod in legatariis ex teſtatoris tantùm conjunctione dependet.

Julianus autem contrariæ ſententiæ adhæ-
ſit,

(a) In l. & Proculo, & l. ſi duobus 16. §. ult. ff. de legat. 2.
(b) d. l. & Proculo ff. de leg. 2.
(c) d. l. jus noſtrum ff. de reg. jur.

ſit, (*a*) nam, ait, uſufructu ſervo communi relicto, uno dominorum eum omittente, vel repudiante, alteri totum Jure Adcreſcendi pervenire. Verùm communis opinio diſtinguit; nam Jus Adcreſcendi admittit in legato uſusfructus, qui ut faciliùs adcreſcit, ita faciliùs jus conjunctionis recipit, ſecus verò in legato proprietatis ob dictam l. & Proculo, quam diſtinctionem ſequitur Duarenus, & Goveanus. (*b*) Cujacius autem (*c*) non modò in uſufructu, verùm etiam in proprietate Jus Adcreſcendi ex tali conjunctione oriri exiſtimat; idque admittere videtur Franciſcus Hotomannus. (*d*)

Habet etiam locum conjunctio legalis ab inteſtato in iis ſcilicet, qui repræſentationis jure, & in ſtirpes ſuccedentes ad unam vocantur portionem, quæ quidem conjunctio parit etiam Jus Adcreſcendi, nam uno repudiante, aliis ejuſdem corporis adcreſcit. (*e*)

Præterea hujus generis conjunctio obtinet, ubi plures in eodem gradu exiſtentes ſimul ad eamdem hæreditatem à lege vocantur: videntur enim & ipſi unum corpus efficere, quò fit, ut

 quam

(a) *l.1.§.1.ff. de uſufr. adcr.*
(b) *de Jur. Adcr. n. 27.*
(c) *in l.ſi duobus 26.ff.de leg. 1. poſt initiũ verſ.verùm quæro.*
(d) *Quæſt. ill. cap. 34. initiò verſ. Conjunctio duplex*
(e) *l.1.§.Si quis ex nepotibus ff.de conjungendis cum emancipato liberis*
l.ſi duobus in princ.ff.de bon.poſſ.contra Tab.

quam partem unus repudiat, alteri adcreſcat. *(a)*

Hic non ab re quæri ſolet, an plures hæredes in eadem oratione ſine parte ſcripti, re, & verbis cenſeantur conjuncti? veluti ſi teſtator ita ſcripſerit: *Titius*, *&* *Cajus hæredes ſunto*, *Sempronius hæres eſto*. Nam ſi Cajus, & Titius ſunt conjuncti, repudiante Titio, ejus portio adcreſcet ſoli Cajo: ſi verò disjuncti, tum portio repudiata à Titio, non ſolùm Cajo, verùm etiam Sempronio adcreſcet. *(b)*

Pro cujus ſolutione ſtatuendum in primis eſt, in hæredibus eadem oratione ſine parte inſtitutis duplicem conjunctionis ſpeciem conſiderari poſſe: unam in quantum ad Jus Adcreſcendi, alteram in quantum ad coactionem in unam hæreditatis partem; quam diſtinctionem primus omnium adhibuit Jacobus de Ravenna, quem ſequitur Cinus. *(c)* Si enim teſtator hæredes ſine parte hoc modo ſcripſerit: *Titius hæres eſto*, *Sejus*, *&* *Mævius hæredes ſunto*, non ambigimus Sejum, & Mævium conjunctos eſſe, non quidem quoad Jus Adcreſcendi, ſed quoad hoc, ut unam partem hæreditatis auferant, hoc eſt, dimidiam; quippe teſtator dum ita conjunxit, pro una per-

---

(a) *l. 3. & ult. ff. de bon. poſſ.*
l. un. C. quando non petent. partes &c.
l. 1. §. Si nemo ff. ad Tertyll.
l. ſi ex pluribus ff. de ſuis, & legitim.

(b) *l. liber homo §. cum quis ff. de hæred. inſtit.*

(c) *in l. un. §. his ita C. de Caduc. toll.*

perſona eos habere voluit : quapropter hæreditas dividetur in duos ſemiſſes tantùm, quorum dimidiam partem accipiet Titius, alteram Sejus, & Mævius. (a) Verùm portio ejus, hoc eſt, Titii, qui nemini reperitur conjunctus, omnibus adcreſcit; Si verò Sejus reſpuat ſuum quadrantem, adcreſcet Titio, & Mævio inæqualiter pro portionibus hæreditariis, hoc eſt, Titius duplum ferer, quàm Mævius. (b)

Itaque hæredes ſine parte ſcripti in quantum ad Jus Adcreſcendi conjuncti non ſunt; quæ fuit Ulpiani ſententia (c) hiſce verbis declarata [quantùm ad Jus Adcreſcendi non ſunt conjuncti, qui ſine parte inſtituuntur.] coacti tamen ſunt in unam hæreditatis partem. (d)

Expoſitis his, veniamus ad ea, ubi Jus Adcreſcendi hæret, non ex poteſtate legis, qualis eſt hæreditas, ut ſuprà innuimus, ſed ex conjunctione verborum, ac tacita teſtatoris voluntate, qualia ſunt legata. Siquidem in legatis permittitur partem agnoſcere, partem repudiare, ſecùs autem in hæreditate, ex illa juris regula, quæ,

(a) *d. l. liber homo §. Titius hæres eſto ff. de hæred. inſtit.*
(b) *d. l. liber homo §. cum quis ff. eod.*
Cinus in l. un. §. his ita C. de Caduc. toll.
(c) *in l. item quod Sabinus §. unde ff. de hæred. inſtit.*
(d) *Cujacius in l. triplici*
Duaren. lib. 2. de Jur. Adcr. cap. 9.
Bellon. cap. 5. q. 22. n. 5.
Govean. de Jur. Adcr. n. 19.

ut ante dictum eſt, prohibet aliquem partim teſtatum, partim inteſtatum decedere. Verùm nihil abſurde fit, ſi legatarii ceſſantes portiones inviti non agnoſcant; pars enim legati repudiata cedit hæredi, ac penes ipſum relinquitur, quando legatarius non eſt rei repudiatæ conjunctus. Si verò plures ſint conjuncti re, & verbis, pars deficiens adcreſcitur pro parte legati agniti, & cum onere a teſtatore impoſito, quia legatarius vicem ſubeundo alterius conjuncti, etiam in ea portione illius onera ferre debet. *(a)* Conjuncti enim re, & verbis unius perſonæ vicem ſuſtinent, ac propterea quod conjuncto adcreſcit, cum onere adcreſcit. *(b)*

Sin autem eodem in legato plures ſint conjuncti quidem re, ſed verbis disjuncti, pars deficiens alteri ſine ullo onere adcreſcit, *(c)* quia huic ſolidum eſt ab initio relictum, partes autem tantùm concurſu fiunt: qua de cauſſa altero legatario deficiente, ſive non concurrente, quod proprium erat, non autem alienum recipere intelligitur; unde onus alienæ perſonæ ſuſcipere non cogitur. Si ergo in conjunctis re tantùm partes non fiunt ab initio, ſed concurſu, non concurrente legatario, teſtator cenſetur totum a principio reliquiſſe, ſoloque concurſu partes fieri voluiſſe. Ex quo efficitur

(*a*) *l. un. §. ubi autem C. de caduc. toll.*
(*b*) *d. l. un.*
(*c*) *d. l. un.*

Digitized by Google

citur, ut alterius legatum non tam augeri, quàm non diminui videatur, atque deficientis, ſive non concurrentis partem collegatarius capiat non tam jure adcreſcendi, quàm non decreſcendi, ut ait Imp. *(a)* [ne ſcilicet ſibi decreſcat, quod ab initio habuit] *(b)* adeout qui retinet rem in ſolidum per jus non diminuendi, eam retinere jure proprio dicitur, quia ſibi in ſolidum fuit relicta. *(c)*

Porro differt à Jure Adcreſcendi Jus non Decreſcendi, quod in re tantùm conjunctis locum habet, quibus, ut dictum eſt, palam ſolidum relinquitur, adeout ſuum capere dicuntur, ac propterea re tantùm conjunctorum legato non eſt onus adſcriptum. *(d)* In Jure autem Adcreſcendi longè aliter res ſe habet, nam legatarii alienum legatum capere videntur; unde re, & verbis conjunctis, quibus non ita palam ſolidum relinquitur, adcreſcet cum onere. *(e)*

Olim autem non fiebat concurſus, quum res eadem duobus per damnationem legabatur; tum enim alter rem, alter æſtimationem auferebat, ut inquit Cajus Juriſconſultus; *(f)* de quo legati genere verba Imperatoris Juſtiniani

 ſunt

(a) *d. l. un.*
(b) *d. l. un. Govean. hoc tract.*
(c) *l. ſi mihi, & tibi ff. de leg. 1.*
(d) *l. ſi ſeparatim ff. de cond. & demon.*
(e) *l. ſi quis legata ff. eod.*
(f) *lib. 2. Inſt. de legat.*

Digitized by Google

ſunt accipienda; quanquam malè Accurſius interpretatus eſt de legato vindicationis. Et quoniam hanc legatorum differentiam Imperator ſuſtulit, ideo præſentibus moribus quocumque modo eadem res ſeparatim legetur, partes concurſu fiunt, niſi de contraria teſtatoris mente liquidò conſtet: (a) adeout Jus Adcreſcendi inter conjunctos ceſſare oportet, ſi defuncti judicium tale fuiſſe appareat. Non enim, ut præclarè ſcripſit Cujacius, (b) latiùs producenda ſunt quæ adverſus teſtatoris judicium admittuntur: exemplum eſt in l. mulieri ff. de cond. & demon. ubi inter conjunctos re, & verbis Jus Adcreſcendi non eſt, quia teſtatoris judicio adverſari videtur.

Aſt in conjunctis tantùm verbis an locum habeat Jus Adcreſcendi, haud leviter inter Interpretes diſceptatur. Nam Accurſius, Bartolus, Baldus, Imola, & plerique alii (c) in eam iverunt ſententiam, ut ſive agatur de legato proprietatis, ſive uſusfructus, locus ſit inter verbis conjunctos Juri Adcreſcendi.

Alii verò ex Papiniano in l. penult. ff. de uſufr. adcr. in legato proprietatis, non autem uſusfructus id verum eſſe dicebant, eoſque ſecuti

---

(a) *l. ſi pluribus ff. de leg. 1.*
(b) *h. tit. de jure novo.*
(c) *In l. 1. in prin. ff. de uſuf. adcr. l. ſi duobus §. ult. ff. eod.*

cuti ſunt Duarenus, (*a*) Facchineus, (*b*) eâ moti ratione, quòd verbis tantùm conjunctus nequit in uſufructu partem collegatarii deficientis quaſi ſuam vendicare; quum enim unaquæque pars hæreat perſonæ, cui adſcripta eſt à Teſtatore, deficiente perſonâ finitur, & ad proprietatem redit. In proprietate verò, in qua reivendicatio datur, deficientis portio, veluti per alluvionem, alterius portioni adcreſcit. (*c*)

Denique ſunt & alii docentes inter verbis conjunctos ſive de proprietate, ſive de uſufructu agatur, nunquam Jus Adcreſcendi verſari; (*d*) idque pluribus demonſtrare conantur, ac præſertim ex l. Neratius 4. ac l. penult. ff. de uſufr. adcr. quod longioris temporis foret, quàm nobis permittitur, ea ſingillatim recenſere.

Satis ergo fuerit vos docere opinionem hac in re receptiorem, & communem, quæ eſt, ut etiam in conjunctis verbis tantùm Juri Adcreſcendi locus pateat; nam conjunctus ſolis verbis unâ etiam, eâdemque in re cum altero conjungitur, neque differt à conjuncto re tantùm, ni-

(*a*) *lib. 1. de Jure Adcr. cap. 10. in fin.*
(*b*) *lib. 5. cap. 50. contr.*
(*c*) *l. ſi Titio in fin. ff. de uſufr. & quemadm. &c.*
(*d*) *Cujac. lib. 24. obſ. cap. 32.*
Faber conject. lib. 6. cap. 1.
Govean. in animad. ad l. re conjuncti, & de Jure Adcr. n. 12. & 25.
Bellon. cap. 5. q. 38. n. 26. & ſeq.
Hotoman. lib. 6. obſ. 12. & alii.

niſi quod in conjunctione rei partes concurſu fiunt, at in conjunctione verborum fiunt ex verbis Teſtatoris, qui voluntatem ſuam in rei conjunctione reticuit, quam expreſſit in conjunctione verborum. (*a*)

Etenim verbis conjuncti propter unitatem ſermonis ad unum quaſi corpus videntur redacti, adeout ex illa conjunctione reſultat affectionis, ac voluntatis Teſtatoris quædam præſumptio, ut ſi unus eorum repudiet, vel aliàs ejus portio deficiat, alteri adcreſcat: (*b*) quibus omnibus nec Goveanus ipſe diſſentire videtur, ubi conjunctio verbi ad rei conjunctionem accedat; quod quidem ex illa unitate ſermonis perpetuò contingit, niſi de contraria Teſtatoris voluntate liquidò conſtet, ut ſupra dictum eſt.

Ceterum ſi diverſi generis plures conjuncti concurrant in eamdem rem, uter utri præferatur, quæſtionis eſt: equidem hoc præcipuè definitum à J. C. Paulo (*c*) videtur, ut qui re, & verbis in eodem legato conjuncti ſunt, ceteris, qui re, vel verbis tantùm conjunguntur,

---

(*a*) *DD. cit. leg.*
l. Mævio ff. de leg. 1.
d. l. ſi duobus
d. l. ſi ſeparatim
d. l un. C. de cad. toll.
Perez ad tit. Cod. de caduc. toll.

(*b*) *l. ſi Titio, & Mævio ff de leg.* 2.
l. in teſtamento inſcribendo ff. de vulg. & pupill. ſubſt.

(*c*) *in d. l. re conjuncti ff. de leg.* 3.

Digitized by Google

tur, præferantur, & ſoli ad partem, quæ ceſſat, admittantur; verba Pauli hæc ſunt: Re conjuncti videntur, non etiam verbis, quum duobus ſeparatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re, Titio, & Sejo fundum æquis partibus do, lego; quoniam ſemper partes habent legatarii. Præfertur igitur omnino ceteris qui, & re, & verbis conjunctus eſt. Quòd ſi re tantùm conjunctus ſit, conſtat non eſſe potiorem. Si verò verbis quidem conjunctus ſit, re autem non, quæſtionis eſt, an conjunctus potior ſit; & magis eſt, ut, & ipſe præferatur.

Unde ſi plures ſint legatarii, quibus eadem res legata ſit, at duo ſunt re, & verbis conjuncti, duo re, & alii duo verbis tantùm, tum omnibus ipſis inter ſe concurrentibus legatum in quatuor partes omnino eſt dividendum, quarum prima competit primo legatario, & ſecundo: ſecunda pars competit Tertio; Tertia competit Quarto, & Quarta pars Quinto, & Sexto debetur. (*a*)

Si verò primus partem ſuam repudiaverit, adcreſcet tunc Secundo, & è converſo, quia conjunguntur re, & verbis, ideoque vinculo ceteris potentiori. (*b*)

At ſi Tertius ſuam portionem noluerit, ſive repudiaverit, tum ea pars omnibus adcreſcit; quip-

(*a*) *l. planè ff. de leg. 1. ubi DD.*
(*b*) *l. cohæredi § qui diſcretus ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. cum in adoptivis C. de adopt.*

quippequod reſpectu Tertii omnes ſunt conjuncti in una, eademque re, nec tertius aliis potior eſt, quia nihil habet, quod ei non ſit commune cum ceteris, & ob id nullo modo unus alteri præfertur.

Si verò Quintus repudiaverit, tum ejus portio adcreſcet ſoli Sexto verbis conjuncto; nam prælatio iſta in præſenti ſpecie non reſultat ex eo quod quis ſimpliciter ſit verbis conjunctus, ſed quod verbali conjunctioni accedit conjunctio rei non quidem ab initio, ſed ex poſt facto. Unde licèt inſpecta priori Teſtatoris diſpoſitione ſit verbis conjunctus, inſpecto tamen exitu re, & verbis conjunctus eſt. Itaque verbis tantùm conjuncti perinde atque utroque modo conjuncti ceteris potiores ſunt, quum iis quoque competit ratio Juſtiniani, (*a*) qui inquit, unitate ſermonis in unum quodammodo corpus redacti videntur. Unde rationi maxime congruit, ut pars deficiens illius corporis, & quaſi ab eo avulſa, eodem redeat; quam ſententiam Recentiores communiter amplectuntur, (*b*) inter quos Antonius Faber, (*c*) qui eam perbellè explicat, & fatetur ſe ad hujuſmodi l. re conjuncti intelligentiam ex felici, ac mirabili ingenio Antonii Goveani perveniſſe; quin etiam ipſe Goveanus (*d*) eo, quo

(*a*) *in d. l. un.* §. 10. *in fin.*
(*b*) *DD. in d. l. re conjuncti*
(*c*) *dec. 49. err. 7.*
(*d*) *in animad. ad l. re conjuncti.*

Digitized by Google

quò excelluit doctrinæ candore ita ſcriptum reliquit [ſententiam l. re conjuncti , ut ante me fortaſſe nemo , ita neque ante hunc diem ego intellexi .]

Nos autem quantùm ſatis muneri noſtro fecerimus , aliorum ſit judicium ; interpretationes certè ſolidiores ſecuti ſumus , quibus hac in re patefactus eſt locus omnis , ut non ſit difficile ad ea progredi , quæ in uſu forenſi aguntur ; quæque inanibus , atque intempeſtivis quæſtionibus involuta mentem in confuſionem adducunt, niſi ad quædam perpauca genera, quò firma maneant, revocentur. Sed hæc explanata ſunt pleriſque in locis ſatis , ut arbitror, diligenter; nunc ad reliqua pergamus .

F I N I S.

Digitized by Google